*ILLVSTRISSIMI FORTIS-*
SIMIQVE DOMINI,

# D.
# GEORGII
# VILLERII

*BVCKINGHAMIÆ DVCIS*

maligno fortunæ errore à *Feltono*
ὑποστρατήγω *cultro confossi, mortis*
διαγραφὴ ἐγκωμιαστικὴ *ad imi-*
tationem Virgilianam
*conscripta.*

Βρωτοις ἅπασιν οἶκτρα μεν τα δυστυχῆ.

*Homo qui homini calamitoso est*
*misericors meminit sui.*

*Cuivis potest accidere quod cuiquam.*
*Miseria est digna misericordia.*

AVTHORE *ROBERTO SPENCÆO.*

5

4028:01

# AVGVSTISSIMO POTENTISSIMOQVE CAROLO,

## MAGNÆ BRITANNIÆ, GALLIÆ, ET HIBERNIÆ REGI,

*Fidei Christianæ ὑπερασπιστῆ*

Strenuissimo.

Dicas forsan (*Rex Serenissime*) hanc nostram sedulitatem inanem esse, & dicendo damnes me tanquam homuncionem audaculum, & arrogantioris ingenij, qui ausus fuerim regiæ tuæ Majestati hoc quodcunq; libelli de laudibus & morte illustrissimi Buckinghamiæ ducis dicare: sed aurata poetarum sententia hoc mihi persuasêre:

*Aude aliquid, timidi nunquam statuêre trophæum.*

&

*Principibus placuisse viris non vltima laus est.*

Ah quid dixi, qui ausus fuerim? nonne (*regali quod dicam pace*)

*——Pictoribus atq; Poetis*

*Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.*

Spero (*Augustissime Rex*) nomen defuncti ducis Buckinghamiæ tantum apud tuam regiam majestatem adhuc valere, vt mea carmina etiamsi indigna, regia lectione ornare digneris. Ideo enim feci vt defuncti memoria inter

vivos

*vivos perduret, & ejus nominis ſplendor poſterorum memoriæ ad omnem æternitatem propagetur. Nam quis Æneam noſſet ſi non ſcripſiſſet Virgilius? Quis Achillem ſi non Homerus? Quis Hannibalem ſi non Livius? Qui potentiſſimorum regum & ducum egregia facinora depinxiſſent, ſi poetæ & oratores primæ notæ latuiſſent?*

*Nonne ducum fuerant olim regumq́ poetæ?*
*Præmiaq́ antiqui magna tulere chori:*
*Sanctaq́ majeſtas & erat venerabile nomen*
*Vatibus, & largæ ſæpe dabantur opes.*

*Notiſſimum eſt (Rex potentiſſime) quâ clementiâ, quâq́ frontis hilaritate accipias literatos omnes, & ipſa literarum ſtudia, noſtrum igitur munuſculum qualecunq́ (ut ſoles omnia) benignè ſuſcipias, ac irrefragabili & regali tua auctoritate velut numen præſentiſſimum à male feriatis Zoilis protegas; nam*

*Zoilus Idaliæ carpit ſandalia divæ,*
*Quum nihil in diva quod reprehendat habet.*

*Vive vale (Rex ſereniſſime) Auguſto fœlicior Trajano melior.*

*MAIESTATI TVÆ*

*Omni ſervitutis jugo*
*ſubmiſſiſſimus*

ROBERTUS SPENCÆUS.

AD

# CAROLVM

MAGNÆ BRITANNIÆ

MONARCHAM.

EPIGRAMMA.

SI virtus Carlo dederat cognomina Magno,
His titulis dignus, Carole, Magnus eris:
Si victa est Carlo tellus Aquitana secundo,
Danica si franco milite pulsa ratis:
Carole tum fueris nulli pietate secundus,
Daniaco francas milite pelle rates:
Carolus evicit Gallum, Carthago recepta est,
Divexans armis Teutona regna suis:
Evincas Gallum, tibi sit Rupella redempta,
Divexes armis gallica regna tuis:
Tum magno major fueris, tum, Carle, secundus,
Tum quintus, sextus, Carole, primus eris.

SERENISSIMI CAROLI REGIS,
FILII ABORTIVI.

EPITAPHIUM.

FIlius heu patris sola & suprema voluptas
Huic tumulo subita morte peremptus inest:
Carole nil refert; mœstum compesce dolorem:
Quam dulce est CHRISTI dulci in amore mori:
Hoc tantum superest, veteri indulgere labori,
Rursus & Idaliæ ponere castra deæ.

# Ad Lectorem.

NON ignoro (candide Lector) acria Criticorum hujus ætatis ingenia, & Aristarchis suis hoc saculum abundare: O tempora! O mores! nunquam se latius effudit maledicendi licentia, nullum opus quantumvis rarum & accurate limatum, in lucem prodit, quod jurati illi Musarum & Apollinis hostes non vellicent & sugillent: O quam iniqui sunt rerum æstimatores illi petulantes momi!

*Quos genuit quoties voluit natura jocari.*

Sed insusurrandum est illis in aures græcanicum illud μωμᾶσθαι μεν ραδιον εἶναι, μιμεῖσθαι δε χαλεπον. Certo certius scio nonnullos esse grammaticastros & dominastros delicatulos, qui putant se scire, & interim nihil sciunt, qui ducem Buckinghamium, opusculumq; meum in ejus laudem conscriptum, dente theonino perstringent; sed pereant illi miseri, pereant malevoli: idcirco moneo ut quiescant, & desinant maledicere, malefacta ne noscant sua. Nos regio muniti præsidio, Masonica dicteria, Archilochia edicta, Pattasiorum calumnias, Aristarchorum obeliscos non pluris facimus, quam muscam elephantus Indicus. De duce Buckinghamio nil nisi bonum, quia mortuo: Chilon vetabat de mortuis malè loqui, quod ignavum videretur eos incessere linguâ, qui respondere non possent, ac turpe esset cum umbris & larvis luctari. Agesilaus Lacedæmoniorum rex indecorum esse putavit, simultatem exercere cum sepulto. Nolo plura ne videar citra clepsydram loqui, aut nimia verbositate tempus extrahere:

—— *Si quid novisti rectius istis*
*Candidus imperti, si non, his utere mecum.*

Deniq;

*Deniq́* (*Candide Lector*) *non te latebit, me intra binas ſeptimanas à duce interfecto huic opuſculo finem impoſuiſſe; ſed excudendi licentiam mihi à ſuperioribus fuiſſe denegatam; idcirco trajecto mari* Amſterodamum *me contuli, ibiq́ πιεσήριω commiſſum curavi: Damus ergo ſat citò ſi ſat bene.*

*Tuus vt ſuus*
ROBERTUS SPENCÆUS.

## *IN ZOILVM.*

SIccine *Villerium* Petulanti ſplene peremptum
Rides? Gorgoneas ſiccine ludis aquas?
Siccine tu ſacros infenſa voce Poëtas
Lædis? tu Clarii ſiccine caſtra chori?
Siccine tu authorem, quem, Zoile, Pythius augur,
Dente theonino rodere pergis, amat?
Si ſic *Villerium* petulanti ſplene peremptum
Rides, Gorgoneas ſi malè ludis aquas,
Zoile tu duras: tortus torquem ore retorto
Torquebis, finis ſic tibi finis erit:
Si ſic tu ſacros infenſa voce Poëtas
Lædis, ſi Clarii caſtra novena chori;
Tum pergent calamos in te ſtrinxiſſe Poëtæ,
Te fugient Clarii caſtra novena chori;
Si ſic authorem, quem, Zoile, Pythius augur
Dente theonino rodere pergis, amat:
Tunc Archilochiis ſe muniet author Iambis
Mome, Lycambæâ vt morte perire queas.

R. S

*AD ILLVSTRISSIMVM DOMINVM*

HOLANDVM ACADEMIÆ *CANTA-*

BRIGIENSIS *CANCELLARIVM CELE-*

BERRIMVM.

## *EPIGRAMMA.*

EXimios celebrare tuos dum conor honores,
Astitit aurata *Calliopæa* lyra:
Astitit: vtq; suo docto modulamine vidit
Carmina, discedens talia voce refert:
Cur *Cantabrigias* doctas non *Palladis* arces
Tendis? & ad Sophiæ sancta sacella Deæ?
Inclytus *Holandus* faciet te illius alumnum,
Intrabis sophiæ sancta sacella Deæ:
*Holande* hoc orans exorem, vt *Palladis* arces
Incolam, & Vraniæ limina sacra scholæ;
Hoc mihi da: jussit *Pallas*, & jussit *Apollo*,
Iussit & aurata *Calliopæa* lyra:
*Iacobus*, *Carlus*, Regina, *Henricus*, vterq;
*Villerius* dux, hoc clara Ducissa, jubent:
Hoc mihi si dederis *Pallas* te, & *Phœbus* amabit,
Diliget aurata *Calliopæa* lyra:
Si renuas, non te *Pallas*, nec *Phœbus* amabit,
Oderit aurata *Calliopæa* lyra:
Si dederis, te Rex *Iacobus*, *Carlus* amabit,
Tu mihi *Mæcenas*, tu mihi *Cæsar* eris:
Si renuas non te *Iacobus*, *Carlus* amabit,
Non mihi *Mæcenas*, non mihi *Cæsar* eris.

*Tuus servus addictissimus*,

R. S.

## *AD AVTHOREM.*

CVR Spencæe tuam ſinis exareſcere venam?
Cur & Amyclæo more perire cupis?
Si non plectra lyræ moviſſet Thracius Orpheus,
Non poſſet ſtygium perdomuiſſe canem;
Si doctæ non plectra lyræ moviſſet Arion,
Delphin per tumidas non vehiaſſet, aquas
Si non plectra lyræ Amphion moviſſet, amæna
Mænia Pindarica non fabricaſſet ope;
Ne ſuavem Spencæe ſinas areſcere venam,
Non Amyclas, Orpheus ſed Rodopeius eris:
Non Amyclas fueris, regis ſed dulcis Arion,
Sed ducis Amphion ſuaviſonorus eris:
Vix vlli tantas indulſit Delius artes:
Bellerophontæas carmine vincis aquas.

*Ioſephus Spens S. S.*
*Theologiæ doctor.*

## AD EVNDEM.

*ORphea quis dubitet revocaſſe Acherontis ab vndis*
*Dilectam Eurydicen dulcè ſonante lyrâ?*
*Virbion aut factum redivivum Pæonis arte?*
*Biſq; datum patriis Androgeona focis?*
*Cujus enim ſorti, nuper nimis aura favebat,*
*Sorte jacet verſâ, ſub pede preſſus honos;*

*Atq; vbi res fracta Teucrûm, & fortuna receſſit,*
*Nemo laboranti ferre volebat opem:*
*Tu caſum ſortemq; ducis miſeratus iniquam,*
*Spencae, impavidus quem ſtimulavit amor,*
*Buſta* Bukingami *(Phœbo ſimul auſpice) vindex*
*Aſſeris, extinctum ditis ab arce trahens:*
*Proq; brevi ſpatio, quod ſica ſecíderat ævi,*
*Reddis ab æternâ poſteritate decus:*
*Scilicet, hoc illud, vatum celebrarier ore eſt,*
*Qui valeant numeris vincere fata ſuis!*
*Et dare manſuram poſſunt poſt funera famam,*
*Quiq; vetant laudes igne perire rogi.*
*Quod dare non poſſunt immania Mauſolæa,*
*Magnaq; mirificis ſtructa ſepulchra modis.*
*Quæ ſibi degeneres ſolatia languida fingunt,*
*Saxa caduca, ſitu vel peritura die,*
*Sola Poetarum (nunquam tacitura bonorum*
*Facta) dabit functis penna perenne decus.*
*Fœdaq; quos morſu mors deturpârat iniquo*
*Erigit, & fato dat meliore frui.*
*Macte pio officio, cum ſic aliena reſurgat*
*Fama virens per te, ſurgit & inde tua.*
*Vivat inextincto pariter Spencæus & ævo,*
*Qui dedit extincto vivere in orbe Duci.*

*Galt. Ballentinus.*

## *AD EVNDEM*

DVM grandi Spencæe tonas nunc ore, cadentis
*Villerii* insontis tristia fata ducis,
Æneam numeris Maro tu depingis ad vnguem,
Scilicet insignem Marte togâq; virum:
Per mare, per terras, per tot discrimina rerum,
Insperata necis sors miseranda venit:
Ausus eras nimiis (*Feltone* O proditor) ausis
Sic patriæ tantum surripuisse patrem?
Fama orbis vixit, meritis post funera virtus
Vivet, & eulogiis non peritura tuis;
Ergo Iovi & Phœbo, doctisq; beate camœnis,
Vsq; tibi cingent laurea serta caput

Ia. Spencæus pastor Tiliallensis.

## *AD EVNDEM.*

VSque Cothurnati durabit nomen Homeri,
Scripserat Æmonii qui bona facta viri;
Virgilii æternum restabit fama per ævum;
Qui cecinit Phrygii clara trophæa ducis;
Vivet Battiades, Heliconia flumina, vates,
Qui doctâ in varios dissipat arte modos:
Cæpit florentî ducis ostentare labores
Ponticus, idcirco fama perennis erit:
Accius & vivet, Vario cantare cothurno
Qui cæpit, tragico fortiter ore loquens:
Sic Spencæe tuum durabit nomen, Achilles
*Villerius* dux est, alter Homerus eris:
Spencæe æternum restabit fama per ævum,
Dux est Æneas, tu Maro doctus eris:
Spencæe in varios Heliconia flumina rivos
Cogis, Battiades suavis & alter eris:
*Villerii* pergis ducis ostentare cruentam
Sic Spencæe necem: Ponticus alter eris:
Sic Spencæe ducis Vario cantare cothurno
Exequias pergis, Accius alter eris.

Georgius Spencæus medicinæ doctor.

*IPSIVS AVTHORIS AD AVTHOREM.*

SI sis SPE-ENS eris ergo bonus, tu verus & vnus,
Vera tua, vna tua, & spes bona semper erit:
CAROLUS in certam rem, spem, Spencæe, reducet,
Vera tua, vna tua, & res bona semper erit.

# GEORGIVS VILLERIVS DVX.

## ANAGRAMMA.

*Duro, vivo lux Regis, legis.*

*DVX duro regis lux: legis lux ego vivo:*
*Nam regale magis lege quid esse potest?*
*Dux vivo legis lux: Regis lux ego duro*
*Nam legale magis rege quid esse potest?*

CVR

CVR Pæan non plectra moves? humeroq; diſertum
Auricomo ſuſpendis eburˀ quæ veſtra ſorores
Orgia Pieriæˀ nobisne exaruit humor
Caſtalius? dic quid cauſæˀ quæ culpa? quis erroˀ
*Villerij* mœrore ducis, nec plectra movere
Phœbo, nec ſacram fas eſt impellere Cyrram
Præ mœrore ducis; reſonant nil dulce novenæ
Voce deæ, fugêre mei Parnaſſia crines
Vellera: Caſtaliæ liquidis vt fontibus vndæ
Inviſus, Phœboq; gravis primordia ſumam.

O infauſta dies nigro ſignanda lapillo!
O infauſta dies muſis, & regibus omen
Dirum! Credo minus Priamum doluiſſe parentem
Æmoniis vidiſſet equis quando Hectora raptum.
Heu, heu, credo minus charum doluiſſe parentem;
Bis ſex natorum tunc cum tradebat avaro
Tantalis oſſa rogo: tam in denſa flebilis vmbra
Biſtonium deflevit Itim non Tereos vxor;
Hoc Phaetontæo conſpexit acerbius igne
Phœbus & hoc pueri caſu conſpexit Apollo
Triſtius Æbalii: lux O ſine luce! canorum
Orphea Threicium genetrix ſi fleverat olim

Calliope

Calliope: Rheſum ſi muſa miſerrima mater
Eluxit, ſi morte Lini perculſus Apollo:
Si tantùm ad Drepani triſtes delatus in oras,
Amiſſum Anchiſen flevit Cythereïus heros:
Aſpera ſi chari nimis aſpera fata mariti
Planxerit Halcione, planctu reſonantia plangens
Littora: Cur mea Calliope lugubria ceſſas
Induere? in lachrymas cur cur conſumere fontem
Gorgoneus quem fecit equus non pergis? at heros
*Villerius* ceſſit fatis: quis talia fando
Mirmidonum Dolopumve, aut duri miles Vliſſei
Temperet à lachrimis? poſtes & ſaxa ſonabunt
Barbaricum facinus: quo Phœbus atrocius vnquam
Nil vidit; pario deſcribi marmore dignum:
Horreſco referens totus, vox faucibus hæret.
Quanquam animus meminiſſe horret, luctuq; refugit;
Incipiam.

DVX ratus egregius ſævis ſe poſſe rebelles
Caſtriſequis mollire animos, & flectere duras
Cervices: longe aſt aliter res ceſſit, abuſi
Sed ducis eximii bonitate attollere criſtas
Cæpere: indomito paſſim turgeſcere faſtu,
Molirique novas turbas, & ſpargere voces
In vulgum inviſas & quærere cominus arma.
*Feltonus* claram inflatus ſucceſſibus aulam
*Villeriam* ingreditur, quam lætus ōbambulat inter
Anglorum proceres, generoſorumq; catervas,

Plurima

Plurima dissimulans, latet abditus anguis in herba,
( Nulla fides pietasq; viris qui castra sequuntur)
Sed vafrum modò consiliis audire Sinonem
Præstat, vt astutá versat molimina mente,
Mente diu concepta stetit sententia firma
Funditus invisam terris abolere relictam
*Villerij* sobolem; sunt hæ cacodæmonis artes:
Hinc sese accingens scelus ad crudele paratur,
Quale nec antiquæ Catilina nefarius olim
Romæ intentavit, Iudæis perditus Haman.
Postquam est in thalami pendentia pumice tecta
Ventum: *Feltonum* miserum infernalis Erynnis
Sollicitat, Stygiam suadetq; lacessere cædem.
*Subisius* dux insignis præstantibus armis,
Cum duce *Villerio* licito sermone fruuntur,
Congressi jungunt dextras, valedicere pergunt,
Sed ducis à tergo *Feltonus* perfidus astans,
Perfidus heu, ( dolus an virtus quis in hoste requirat )
Eripit à latere, & flectenti fervidus instat,
Viribus annixus summis, vteroq; recusso
Transadigens costas confodit pectora cultro:
Hæsit, *Villeriiq;* ducis bibit iste cruorem:
Insonuere cavæ gemitumq; dedêre cavernæ:
Proditio infamis! damnosa rebellio! Cædes
Horrenda! & stygiam redolentia pharmaca fraudem

Proh

Proh ſcelus! atteſtor Cœlum, terramque, nefandum
Prodigium, facinuſq; novum, cui tale nec vnquam
Intima Barbaries vidit, nec Turcica tellus.
Ter gladium attollens conatur plurima fruſtra
*Villerius*, geminas tendens ad ſydera palmas
Talia voce refert, Genitor, miſerere precantis
*Villerij*, miſerere animæ non digna ferentis:
Inſuper ac, O Gallorum fortiſſime gentis
Raïacis heu mene tuis occumbere campis
Non potuiſſe? heu pro patria tunc mene decoram
Non ſubiiſſe necem? nec vox, aut verba ſequuntur:
Heu ducis, hæc finis fatorum, hic exitus illum
Sorte tulit, ſuperum invidia eſt, crudelibus aſtris
Hoc placet, O damnum nullo reparabile ſæclo!
Scævola *Feltonus* manet imperterritus, amens,
Ignotum qui ſe circumſpicientibus vltrò
Obtulerat fidens animi & in vtrumq; paratus,
Seu verſare dolos, ſeu certæ occumbere morti:
*Feltonus* cæcas nec pertolerare tenebras
Amplius, aut facinus potuit celare nefandum;
Me me, adſum qui feci, in me convertite ferrum;
*Feltonum* magno ad regem clamore trahebant
*Villerij* famuli manibus poſt terga revinctis,
Quem Rex deprenſum dictis compellat acerbis.
An Athamantææ furiæ! an crudelis Oreſtæ!
Ah miſer, an Chyas? an te Corybantes agebant?

Auſus

Auſus es O nimium ſic effudiſſe cruorem
*Villerÿ*? tali quem ſum dignatus honore:
Flos fuerat, virtuſque virûm qui, maxima cura,
Lux noſtri patris, & patriæ, quem juſtus amavit
Iupiter, ac ardens evexit ad æthera virtus:
Cui triplicis fuerant commiſſa negotia regni:
Rex, quæ nunc tellus, inquit, quæ te æquora poſſunt
Accipere, aut quid jam miſero tibi deniq; reſtat?
Cui neque apud Gallos vſquam locus, inſuper ipſi
Angligenæ infenſi pœnas cum ſanguine poſcunt.
Improbe dic, qui tam facinus patrare nefandum
Auſus eras? quin dic fuerat quæ cauſa? quis autor?
*Feltonus* nullo ſermone ſilentia rupit.

ILiacas alii flammas, Thebanaque fratrum
Arma, & Iaſoniis inſignem Heroibus argo,
Fictaque lugubri memorent ſpectacula planctu:
Nos vivis ſpectata viris, nos facta potentis
*Villerÿ* canimus, quibus aurea ſydera vivus
Tangit, & æthereas fama petit arduus arces:
Non famam Ægides tantis extendere factis
Incepit, ferro Lapithas & Creſſia quamvis
Mactarit monſtra, & ſtygium concuſſerit orbem:
Non Lybicum ſecuit qui Gorgona, quiq; Chymeram
Ignivomo rapidas efflantem gutture flammas,
Præferri jam nemo poteſt tibi jure: ſuperbis

Semideos armis æquas; & ſolus in omnes
Heroas jam ſtare potes, lux temporis hujus
Militiæq; parens, & belli gloria, magnis
Laudibus obſcuras veterum miracula rerum:
Cui velut Æacidæ decus immortale laborum
Penſavit Dominus, regis reverentia major,
Major cura fuit, convitia dixit Atridæ
Ille tumens irâ, vitam, ſi paſſa fuiſſet
Diva, erepturus, ſe corpore corpora veſtro
Regia ſepſerunt, fuerat tam nota fideſq;
Tamq; probatus amor, Phrygiis tulit ignibus vri
Ille rates Danaûm, roſtratis claſſibus ipſe,
Obtuleras te te, regi devotus & aulæ:
Lernæſſam Æacides, Thebas & Apollinis arces
Stravit; tu *Cantabrigias* ſed Apollinis arces
Servâſti, vt quondam Cygnus Dircæus Athenis
Poſt ſua fata diu permanſit in ære ſuperſtes:
Sic maneat veſtrâ veſter Dircæus in vrbe
*Villerius* poſt fata diu, nec in ære ſuperſtes,
Sed pario de monte nitens, non barbara Memphis
Qualem, non Babylon potuit, non templa Bitoni
Qualem qui ſtruxere pio, Cleobiq; fideli,
Notus eris ducibus decus, exemplarq; futuris;
Major Achillæi, nec erit tum fama ſepulchri.
Quâ celebrem tua facta lyrâ, quâ pangere laudes
Sufficiam, non ſi nectat mihi vertice laurus

Mantua,

Mantua, digna loquar: fatum si Gorgone Pallas,
Si Phœbus medicâ potuisset vincere dextra:
Si pietas, virtus, generosa modestia, morum
Candor, pura fides, si gratia mixta bonorum
Temperies, si quid nigrum moviſſet Avernum,
Nequicquam fortis stygias *Villerius* vnquam
Trajeciſſet aquas: quod cæco carcere liber
Di tamen hoc melius, proprio quod parta labore
Iam jam regna colat, fœlix O terque quaterque
Fælix, cui triplices tradunt sua regna sorores:
Scilicet extinctum merces vberrima Cœlo
Et promiſſa manent æternæ præmia vitæ.
Rex generose, ducis genus heu miserabile mortis
*Villerij* objicies: fruſtra: quid? nonne potentum
Sunt hæc fata ducum? Dux eheu nonne cadebat
Hector Achillæo trajectus pectora ferro?
Nonne ita Scipiadæ percunt quos hosticus enſis
In Tartesſiaca morti regione parabat?
Nonne ita Marcellus cecidit quem bella cientem
Terrificæ clangore tubæ confoderat hostis?
Nonne ita, Tarpeiam qui tum ſervaverat arcem,
Manlius ex ipſa poſt præcipitatus obivit?
Non Mithridatem regem, ſperaſſe triumphos
Qui fertur Latios, crudelis Pharnacis arma
Demiſere neci? Parthus Spurina cruorem
Non ita profudit Craſſi? quid? eïne metalla

Aurea combuſta tunc fauce bibenda coegit?
Ne turbaret Otho patriam civilibus armis,
Nonne ita Bebriacos quoque ſanguine tinxit agellos?
Qui Mauritani regni tractavit habenas,
Pompeium conſtanter amans, cui Curio victus
Funditur, eſtne tamen læthali vulnere juba
Fuſus? & Æthereas vitam profudit in auras?
Nonne ita ſunt cæſi genitor natuſque Philippus
(Roma necat natum, perimit Verona parentem)
Dum ferus in Decios furor arma movere jubebat?
Perſica Romano vexat dum milite caſtra
Claudius, iſne ſuo transfixus corde redibat?
His faciunt exempla fidem: quis Cæſare magno
Illius aut genero, Romæve auctore Quirino
Fortior? incautos dolus hos tamen abſtulit omnes:
Pelidem & ſimiles alii quicunque fuêre.
Nec minor ex iſto fuit illi gloria caſu:
Indignum verò tantum virtutis honorem
Imbelli cecidiſſe manu, tacitiſque petitum
Inſidiis, quem marte invadere nullus aperto
Auſus erat: ducis en virtus invicta coegit
Rem tentare dolis.
Innumeros inter tulerat quos Martia quondam
Roma duces, natos fera prorſus ad arma, ſuoque
Marte velut genitore ſatos, victricibus armis
Hi laudemque decuſque ſibi nomenque perenne

Præci-

Præcipuè fecere, ſuâ qui ſponte vocati
Reſponſis ſignisve Deûm, patriæq; ſalutem
Vel pretio vitæ ſe vltro damnantis ementes
Devovere pias animas.
Sic Decii pater & ſoboles patre digna, ſupremi
Hoc fati ſubiere genus, ſic acer & hæros
Quem non aſpectu horribilis terrebat hiatus
Devotum ſimul abſumpturus equumq; virumq;
Optima res homini non naſci, proxima ſed (ſi
Naſci fata volunt) cito tunc occumbere morti:
Cur fles *Villerium* crudeli morte peremptum?
Vivit, non moritur: cur, cur mœrentia plangis
Pectora? cur luges? omnes Acherontis avari
Præda duces: læthiq; viam calcabitis omnes:
Mors fuit at matura nimis: matura videtur
Semper & opportuna bonis, Rex maxime regum,
Non illi propria æternumve fruenda per ævum,
Non alii cuiquam conceſſa eſt vita, ſed ejus
Qui dedit arbitrio, manſura ſequentibus annis
Quam volet ille diu, nec fas mortalibus vltra
Ferre pedem, fatiſq; negatas quærere cauſas:
Proh dolor: ahne rogas? cur, cur mœrentia plango
Pectora? *Villerium* crudeli morte peremptum
Cur fleo? præclaræ quem non virtutis egentem
Abſtulit atra dies & funere merſit acerbo.
In me tantus amor fuerat ductoris, vt illi

Collatus

Collatus fidum non, non ſentiret amicum
Theſea Perythous, Pyladeſq; fidelis Oreſtem
Oderit; vt Pollux non Caſtora charus amaret;
Nec non Hirtaciden credatur fallere Niſum
Euryalus.
Pro duce non ſemel ah moriar, ſed ſæpius: O ſi
Pro duce *Villerio* fugientia flumina captem:
Pro duce Siſiphium metuam non, volvere ſaxum.

MAjus ineſt vulnus ſecreto in pectore: nonne
Rex *Iacobus* abeſt, quo vivo oracla priorum
Aurea compoſitis miſerunt ſæcula bellis:
Quo vivo externis olim pulſata procellis,
Ac olim flammis fœdata Britannia, ferro
Obruta, læta caput cinxit pacalis Olivæ
Fronde comam, æternam ſpondebant ſydera pacem:
Sic quis in auguſto pendebat jura ſenatu?
Lancibus æquatis parilique examine libræ?
Sic Labyrinthæos per regum incedere flexus
Cæpit, Dædalio vt regeret veſtigia filo.

MAjus habes vulnus ſecreto in pectore: nonne
Mater abeſt? qualem non priſtina ſæcla tulerunt,
Qualem nulla ferent, fuerat quæ ſplendida gentis
Gemma ſuæ, pietatis honos, virtutis honeſtæ
Exemplar, vultu, quæ moribus, æqua Deabus
Virtute

Virtute, ingenio, Regina & munere formæ;
Vni quicquid habet dederat Cytheræa decoris,
Quicquid habet Sophiæ dedit vni pallida Pallas,
Conjugii fructu quæ fœliciſſima, cujus
Progeniem metuit, totus miratur & orbis
Terrarum, Neptis fuerat quæ regia, conjunx
Regia, eratq; ſoror quæ regia, filia, mater
Regia, cui regum rex regia regna paravit
In Cælo, æternæq; dedit cui munera vitæ.

MAjus habes vulnus ſecreto in pectore, nonne
Frater abeſt princeps? quo non præſtantior alter
Ore ciere viros, Martemque accendere vultu.
Frater abeſt: O fama ingens, ingentior armis!
O Henrice quibus cœlo te laudibus æquem?
Non famam Henricus tantis extendere factis
Incepit primus, CHRISTI tunc Vandala quamvis
Cepit turba fidem, indomitum tunc temporis Hunnum
Dalmatiam licet, Illyricumq; ſubegerat armis:
Sic illi diſpar fuerat virtute ſecundus
Henricus, ſervit ſibi victa Bohemia quamvis,
Expugnata ſuo ſubmiſit Vandala tellus
Et ſua colla jugo. Henricus quoq; tertius illi
Poſtponendus erat, quamvis ſubjecerat olim
Auſtriacos; & tunc hoſtilia caſtra fugarat
A Capua: armipotens Henricus quartus eidem

Poſt

Poſt & habendus erat, præclarè iniiſſe feratur
Quamvis prælia ſexaginta cruenta, quod vlli
Conceſſum negat eſſe prius; ſic quintus & illi
Victus erat, capta quamvis retuliſſet ab vrbe
Auratum diadema manu: ſic ſextus & illi
Inferior fuerat, quamvis quoq; Marte feroci
Tancredum Siculis excedere fecerat oris.
Quotque etiam Henricus Paraſangis ſeptimus illi
Marte ſecundus erat? terrorem incuſſerat Arno
Sic licet Hetruſco, vt regi commiſta dediſſet
Lenta venena ſacris; primas octavus & illi
Conceſſurus erat, quamvis natumq; patremq;
Gallorum reges vno certamine victos
Captivos cepit: magnæ ſpes altera Romæ,
Ora Deo ſimilis, nonus rex jure fuiſſet
Henricus, ſi fata locum ſedemq; dediſſent:
Indolis egregiæ princeps, cum læta veniret
Invidit fortuna tibi? ne regna videres
Trina, neq; ad ſedes rector veherere paternas:
Muſa refer cauſam; numero Deus impare gaudet,
A Iove cœleſtes idcirco eſt raptus in auras,
Regales vt ibi ſublimis haberet honores.

MAjus habes vulnus ſecreto in pectore; nonne
Inclytus Henricus Palatini principis hæres
Eſt tumidis ſubmerſus aquis? Quis talia ſando

Caſti-

Caſtiget luctus? Quis non mœrentia plangat
Pectora? flet *Phœbus*, deflent illumq; ſorores
Caſtaliæ, gelidi nunc deflent ſaxa Lycæi:
Hunc pergunt Lauri, pergunt deflere myricæ:
Nunc Helicona quatit mæſto Chelis enthea plectro,
O mala nox! non juncta fuit Tyrinthia luna,
Non & Erythæis Thetidis ſignanda lapillis,
Sed plangenda diu, gemitumq; habitura perennem.
O Neptune cui eſt piceas ſervare Carinas
Munus, vt & tumidi mulcere pericula ponti,
Auſus es Henricum medio ſubmergere ponto?
Quî ſpumare Thetis? Quî ſpargere nubila fluctus
Audebant? Non mî vitio, ſed vertitur illi,
Illi, qui Æolio rapidos è carcere ventos
Emiſit, flandi & laxas conceſſit habenas;
Quos ego: cæruleum divæ Næreïdes agmen
Surgite de vitreis ſpumoſæ Doridis antris,
Daniacoſque ſinus, & fœta furentibus auſtris
Littora, ſollicito certatim ambite natatu
Quærentes merſum corpus: Tritonque canore,
Cæruleis qui curris equis per ſtagna profundi,
Nobilis Henrici nunc lamentabile carmen
Per mare funde tubâ: ſubitis tu qui inguina monſtris
Perdiſti blandâ ferions Anthedona caudâ,
Glauce fleas, donec ſit flendi expleta voluptas.
Flete Deæ virides, triſteſque advertite vultus,

Et vitreum nigris crinem redimite corymbis:
O regina Phari quondam ſtabulata ſub antris
Iſi Phoronæis, nunc ſingultantia perge
Verba loqui: princeps magnæ ſpes altera Romæ,
Os humeroſq; deo ſimilis, lumenq; juventæ,
Eſt Henricus aquis inſanis obrutus, vndis
Obrutus inſanis, Henricum nomine claro
Angligenam referens animo manibuſq; potentem,
Egregius forma princeps, fulgentibus armis
Quem ductor Latios docuit tranare cohortes
Danicus, inſignis ſpoliis Henricus opimis
Veniſſet, ſi fata locum vitamque dediſſent;
O generoſe puer, nullus de gente potentes
In tantum ſpe tollet avos, nec Danica tellus
Indolis egregiæ tam ſe jactabit alumno,
Oſtendunt terris te tantum fata, nec vltra
Eſſe ſinunt, miſerande puer, decorare ſupremis
Muneribus pergent reges, & corpora terræ
Mandabunt, mœſto reſonabit regia luctu:
O formoſe puer, te nil cœleſtibus vllis
Debentem digno Dani comitantur honore,
Theſea non talem revocavit Creſſa puella:
Non Paris Oebalios quondam viſurus amores
Talis erat: talem nec Troica bella caventem
Virgineo cultu Thetis occultavit Achillem:
Sed neque talis erat formoſus Troilus, ampla

Quem

Quem circum ſævi fugientem mœnia Phœbi
Ingens Æmoniæ deprendit lancea dextræ.

NEC tibi ſunt curæ defuncti, Carole, virtus
Quo præclara vocat, quo mens generoſa, recede
Quo fortuna rapit, veterani militis ardor
Quoque jubet, felix i, felix terque quaterque
Quo tua mens invicta feret te, hoſtemque rebellem
Conatum male ſe iuſto ſubducere Regi
Coge recuſantem noſtrorum antiquâ ſubire
Imperia, & dominos Anglos inducere tectis.
Ergo ſpes noſtri (Rex maxime) roboris vrge,
Perge fugare hoſtes; & debellare ſuperbos.
En promiſſa tibi fatis eſt palma; redibis
Spumanti ſublimis equo, ſpoliisq; ſuperbus:
Hoſtica poſt currum te te expugnata ſequetur
Turba triumphalem, pariterq; exercitus omnis.
Tu captos hoſtes referes, tuq; hoſtica ſigna
Carle; dabunt cives manibus tum lilia plenis.
Occiſo qualis læthali vulnere monſtro
Theſeus eſt quondam doctas invectus Athenas,
Qualis ſuſpecti ſpoliis oneratus Achilli,
Magnanimus Phrygiam ſe rettulit Hector in vrbem,
Inclyte Rex, talem victorem ſumma ſenatus
Gloria te accipiat, reſpublica tota ſalutet;
Ne metue eventum durum, triſtemque futuri

Temporis invidiam, levis aut opprobria vulgi,
Sed quemcunq; dabit finem Deus, accipe læto
Preſentique animo, fuerant non muneris vlla
Pretermiſſa tibi, gentis ſed cauſa fuere
Peccata; Hannibal & Pompeius lumina gentis
Quiſque ſuæ, multas bello reculere coronas,
Victus vterq; fuit, nil magnis obſtitit auſis:
Implevit variis Aſiæ victoria Romam
Deliciis, & quem non Punica bella tot annos
Continuata prius, non regis & arma Philippi
Contuderant, peregrina ſeveram perdidit vrbem
Luxuria; hinc cædes, & publica furta, rapinæ,
Direptæq; vrbes ſociorum, & dira cupido
Regnandi in patria, civilia denique bella.
Maxime Rex, nullis vnquam fortuna reſurget
Hoſtica temporibus, ſed humi diſpecta jacebit
Æternum, manet illa, manet te laurea certa,
Semper honos, nomenq; tuum, laudeſq; manebunt.

SCotangli ducis exemplum præ lumine ponam:
Dux Richmondus abeſt, quo non præſtantior alter:
Da fontes mihi Phœbe novos, ac fronde ſecunda
Necte comas, docto quate fila ſonantia plectro.
Clara Lotharingum non jactet Guiſia Martem,
Sic Ferdinandum tellus nec Ibera Tolethum,
Franciſcum Herculeum non Alanconia, ſic ſe

Nec

Nec Caſimirum præclara Bavaria, ſic ſe
Nec medicen jactet dives Florentia Coſmum,
Et Nogaretum non Epernonia ſortem;
Clara Lotharingum te jactet Guiſia Martem,
Te Ferdinandum tellus ſed Ibera Tolethum,
Franciſcum Herculeum te Alanconia jactet,
Te Caſimirum præclara Bavaria, ſed te
Nunc medicen dives jactet Florentia Coſmum,
Te Nogaretum nunc Epernonia ſortem;
Fortunata ducem genuit qui Scotia talem,
Anglia quæ gremio complexa recepit alumnum,
Nunc ſtrategophoræ memorabitur æmula terræ.

CAROLE vulnus habes ſecreto in pectore, nonne
Inclytus Hammiltonus abeſt? Non juſtior alter,
Iuſtior alter erat, quo non ſincerior alter,
Candidiorve fuit, Pyleo vel dignior ævo,
Nec ſatis, inſignis noſtræ telluris alumnus:
Qui decori quondam, nunc eſt tibi, Carle, dolori,
Et meritò: quis enim regis celebrabit honores?
Indomiti errorem vulgi moremve vagantem
Latius adductis quiſnam revocabit habenis?
Quem ſibi juridicæ toga vindicat vna Minervæ,
Quem ſummos meritum virtutis nomine faſces
Inter honoratos admiſit curia reges:
Græcia non Cleobem jactet, non illa Bitonem

Celtica

Celtica Chriſtophorum non jactet terra Thuanum,
Semilium non Roma ſuum, non Roma Catonem:
Græcia te at Cleobem jactet, teque illa Bitonem.
Celtica Chriſtophorum te jactet terra Thuanum,
Semilium te Roma ſuum, te Roma Catonem,
Tempus erit cum Pierio tua fortior Oeſtro
Facta canam: nunc Aonium nemus advena pulſo.

QVam coner finem noſtris imponere nugis,
Clara duciſſa, prius te dictis ſoler amicis,
Pierius menti calor excidit, vnde jubetis
Ire deæ; ſed nec ſolitæ mihi vertice laurus,
Nec fronti vittatus honos: ſolamina reddam
Sed quid ego? planctus lamentaq; fortia mavis.
Mœſta duciſſa die, totis quid noctibus eheu
Anxia pervigili ducis ſuſpiria curâ?
Quid juvat inſano fruſta indulgere dolori?
Sic ducis exequias triſtes ampiexa mariti
Egregii ingentes iteraſti pectore planctus?
Sic ſemper luges? heu nunquam corde recedet
*Villerius*? fixumque animi penetralibus imis
Nocte dieque tenes? miſerum compeſce dolorem:
Quis mea colloquiis hilaris mulcebit amatis
Pectora? Quis curas mentisq; arcana remittet?
Quis matutinos abrumpet murmure ſomnos?
Obvius intranti rurſus quis in ora manuſque

Proſi-

Proſiliet pulchriſque humeris circumdabit vlnis?
Muta domus eſt heu. deſolatique penates,
Et ſitus in thalamis, & mœſta ſilentia menſis:
Carolus alloquiis hilaris mulcebit amatis
Pectora, Rex curas mentiſque arcana remittet,
Læta domus fuerit conſolatiq; penates,
Accipies amplis Carolinaque fercula menſis.
Si Babylonis opes, Lydæ ſi pondera gazæ
Indorumque daret, Serumque, Arabumque potentes
Divitias, mallem charum vixiſſe maritum.
Rex *Iacobus* eum tali eſt dignatus honore,
Fecerit vt ſubito ſceleratam linquere terram,
Et cætu meliore, Deo placitoque potiri.
His dux in Cœlum aſcenſus virtutibus atque
Laudibus æternum, Dux illuſtriſſime, ſalve
Æternumque vale, vale inclyta gloria gentis
Angligenæ, & patriæ decus irreparabile terræ.

IAM ſunt abſumptæ vires, & copia fandi
Nulla mihi, dignumque nihil mens nomine tanto
Invenit, doctique cohors heliconia *Phœbi*
Fugit, Corycia modo quod monſtravit in vmbra
Dedidici: Aſcræas ignavo pollice chordas
Pulſo; dux namq; egregia pietate meretur,
Facta Sophoclæo ſint vt conſcripta Cothurno,
Vt vel Apellæo quoque ſint ſignata colore,

Phydiaca

Phydiaca vel ſculpta manu, vel ab arte Myronis,
Vt Policlætæo poſſint vel vivere Cœlo;
Namque Ducis moreſque, ducis vitamque canentis
Muſa, cothurnato ſeſe conferret Homero,
Magniloquis vellet verbis æquare Maroni,
Pindaricos ſuperare modos ea poſſet, & omnes
Quoſque alios dignata Chelys, quoq; vincere clari
Carmina Battiadæ, doctiq; Lycophonis, atque
Pindarovictricem poſſet ſuperare corinnam.

Quid petitur ſacris niſi tantum fama poëtis?
Hoc votum noſtri ſumma laboris habet.

Συγγινώμη Πρωτόπειροῖς.

*FINIS*